

feri posse putamus. Fortiter autem contingentiam extrinsecam de
divinis actionibus negamus. Infinitam namq; potentiam, quod ex-
ternum obstaculum impedit? Intrinsicam verò contingentiam
largimur, quam & defendimus, propter originem & fontem, ex quo
actiones ejusmodi promanant; Nempè propter liberam DEI volun-
tatem: Siquidem omnia quæ facit Dominus, liberè efficit, à nullo
impulsus aut coactus. J. Martini, Exerc Met 1. I. Exerc. 5. th. 11. Et lib.
2. Exerc. 4. th. 6. Liberè autem operari DEUM, sequens probabit

Quæstio IV.

An DEVS liberè agat?

DEUM liberrimum agens esse, nullà ferè videtur indigere
probatione: Quandoquidem actiones ejus omnes sunt liberrimæ,
neque ullo modo alligantur ad causas secundas, nisi illà ipsa DEI
libertate, h. e. ex ordinatione voluntatis divinæ, J. Mart. exerc. 1. I.
exerc. 3. th. 8. Ut igitur liberrimum agens est, ita omnia libera & im-
mutabili voluntate, & non alienà produxit. Alias enim ab alio, vel
infinito vel finito ductus vel coactus esset. Non ab alio infinito, ne
actio & passio in infinitum cadens, Ens infinitum esse neget: Neq;
ens aliud infinitum datur. Non à finito, quia finitum non erat:
quod autem non est, ejus non sunt causæ: Ergò, nec operatio. Quin
imò potentia finiti impeditur per potentiam infiniti, imò absorbi-
tur. Unde neque naturæ suæ necessitate Mundum creavit DEUS,
Ut enim primo mobili primus & perfectissimus motus: Ita primo
agenti deberetur prima perfectissimaq; operatio &c. Videatur Clar.
Dn. Jacob. Mart. lib. 2. exerc. Met. 5. th. 3. Nos pergimus, sit

Quæstio V.

An DEI præscientia tollat rerum Contingentiam?

Prius quàm & hanc quæstionem expeditam demus, Dei quæ
præscientiam rebus necessitatem minimè adferre, & contingentiam
auferre demonstremus; Hanc diluemus objectiunculam, quæ,
qui contingentiam tollunt, Achilleæ instar Panopliæ uti consue-
verunt:

*Si est divina præscientia, utique nec poterunt esse contingen-
tia, Quia si DEVS hoc ita futurum esse videt, utique illa prævisio
neces.*